

multi turbatores publicae concordiae, quibus pax bellum, bellum autem pax est, magna rabie ad populum pios et meliores traducunt, deformatur Lutherus aut ab ipsius doctrina fit secessio, etsi in tanta varietate et copia scriptionum aliquid annotatur, quod ab aliis, qui fuerunt quasi παραστάται Lutheri, expli-  
5 catum est paulo dexterius. Certissimo testimonio optimorum virorum demonstrari potest Lutherum, cum cognouisset et legisset, quibus argumentis vir aeterna laude dignus, Philippus, deprauationem coenae Ratisbonae refu-  
tasset,<sup>157</sup> exiliisse gaudio, Deo pro tanta luce clara voce gratias egisse et aperte professum esse, nunquam sese tamen rem ausum fuisse. Porro in illa  
10 refutatione principem locum obtinet haec regula: „Christus adest non propter panem, sed propter hominem.“<sup>158</sup> Ea si retinetur iam non solum mater ipsa μετούσια pontificia, sed vniuersa etiam soboles ipsius profligata est. Fortassis etiam, si nunc superstes esset sicut fuit natu-[49:]ra plane heroica et aper-  
ta et cognouisset perspicuas expositiones huius causae editas a viris pii et  
15 doctis hoc tempore, non repugnasset veritati ita manifestae, quae et maxime veram doctrinam munit et contra idolomanias pontificias potentissime vigi-  
lat. Verum recedamus ab autoritate personarum, sicut in ecclesia par est, et causam potius examinemus.

Conticuerat bellum illud eruentum de coena, et si non pax, saltem tales fue-  
20 runt constitutae induciae, vt animi coalescere diurnitate temporis potuis-  
sent, ibi quidam, quos vt describam, non opus est, cum sese ipsos exacte pin-  
gant, quibus fortassis quamuis truculentis, illa condemnatio sanctorum et optimorum hominum non satis graues dissensiones et turbas parere videba-  
25 tur, ingenti animorum motu ecclesiis multarum gentium bellum propter dog-  
ma dissimile de coena intulerunt, et in eo conflictu nihil ad summam atrociti-  
atem praetermissum est, ita vt expedit libos illos, qui omni genere scurrilitatis et conuitiis ex fabulis Plauti et aliorum tragicorum et comoedorum referti sunt, cum nomen christianum dedecorent, ex memoria hominum abolitos esse. Nam in isto furore Martio vel Panico eo vsque processum est,  
30 vt etiam veri sancti, qui inter crudelia supplicia propter constantem confessio-  
nem purioris doctrinae in pia et ardentи inuocatione Filij Dei expirarunt,  
quorum necem et pias voces confessionis nemo bonorum sine lacrymis lege-  
re potest, pro quibus viuente Luthero principes et doctores nostrarum ecclesiarum moti pia misericordia tanquam pro fratribus ad magistratus exteros dili-  
35 gentissime intercesserunt, martyres diaboli nominati sint. Sed preciosa est  
mors sanctorum in oculis domini. Ipse non solum omnem lacrymam ab

<sup>157</sup> Die Gespräche auf dem Regensburger Religionsgespräch (1541) waren an der Ablehnung der Transsubstantiationslehre durch Melanchthon gescheitert. Vgl. hierzu den Brief Philipp Melanchthons, Martin Bucers und Johannes Pistorius' an Pfalzgraf Friedrich und Nikolaus Granvella in Regensburg vom 10. Mai 1541, in: ADRG 3/1, Nr. 100f, 172,7–177,14 (CR 4, 271–275 [MBW 3, 169f. Nr. 2693].

<sup>158</sup> Philipp Melanchthon, Iudicium de coena Domini (1560), in: CR 9, 962 (MWA 6, 485, 12–15).